



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt VII. Conuersatio eius post Professonem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

C A P V T V I I .

Conuersatio eius post Professionem.

POST QVAM autem sempiternis trium
votorum vinculis animam suam in-
duerat, ac Christo I E S V vnicè desponfa-
uerat; memor in arrepto non solùm voto
sed etiam bono proposito persistendum; &
ita vouendum, vt quod semel voueris red-
dere non tardes, alioqui si per voti trans-
gressionem primam fidem Christo ad aram
maximam datam, faciat irritam, damna-
tionem se certam habiturum, æternasque
inferorum poenas incursum; ita mores
suos in melius conuertere, vitamque virtu-
tum decore efformare studuit, vt benè satis
& laudabiliter vixerit semper, nisi quòd te-
por ac remissio quædam & vana sæculi
complacentia in eius corde refederant. Ac-
cedebat iuuenilis quædam libertas, quæ pro
more aliorum dissolutionem fecerat; ea ta-
men ex mera & profunda animi simplici-
tate, qua planè quæ mala essent non intelli-
gebat, oriebatur. His ergo impediebatur
quò minus ad debitam & iustum sanctæ
vitæ mensuram conscenderet; sed id haud
dubiè non sine alto Dei consilio, qui voluit
ac permisit eum hisce leuioribus adhuc næ-
uis

ORDINIS PRAEMONST. 37
uis detinere, ut postmodum per seriam vitæ
mutationem ac spiritus restorationem
gloriosius eum ad supremos sanctitatis gra-
dus ueheret: quod mox descripturi sumus.

C A P V T . V I I I .

Mira eius in omnibus Patientia.

ILLO iam tempore fortis Christi athle-
ta, verum magnanimorum Christi mili-
tum, & aduersus quoscumque hostiles in-
cursus inexpugnabile scutum arripuit, mi-
ram & à tali ætate vix exspectatam prorsus-
que pluribus tum stupendam visam patien-
tiā, quām à teneris statim vnguiculis ita
sibi iunctam familiaremque habuit, vt me-
ritò eam cum matris lacte suxisse videri
possit. Crebræ ei occurrabant iniuriarum
etiam grauiorum exercitationes, multa in-
gruebant ad tolerandum etiam maturiori-
bus & sapientioribus difficultia: quæ omnia
imperterritus Iuuenis adeò forti, constanti,
mansueto animo excepit & pertulit, vt vel-
ut agnus coram se tondente obmutescens,
summum humilitatis & patientiæ argu-
mentum vbique post se reliquerit, & cer-
tam spem ac fiduciam futuræ quandoque
sanctitatis præbuerit.

C 3 VITAE